



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||**

**Erasmus, Desiderius**

**Basileae, 1518**

**VD16 E 3644**

Conflagratio Vesaevi Montis Ex Dione. Georgio Mervla Alexandrino  
Interprete.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14277**



# CONFLAGRATIO

VE SAEVI MONTIS  
EX DIONE.

GEORGIO MERVLA ALE-  
XANDRINO IN  
TERPRETE.

Vesui con-  
flagratio.

Vesuius  
mons.



VE TITO IN CAMPANIA HORRENDA ET  
miranda quaedam obtigerunt: magnus enim ignis  
per autumnum subito exarsit. Mons enim Vesu-  
uius qui iuxta Neapolim ad mare uergit, abundan-  
teis ignis fontes habet, olim undique altus: ab cu-  
ius medio ignis exoritur. quæ pars solum igne com-  
prehensa fuit, extra hæc omnia sine igne etiam nunc  
manent. Ex hoc cum cætera essent incombusta, me-  
dia uero exusta, & in cinerem redacta, iuga circum-  
stantia ab antiquo usque nunc manent. Quodcumq; ambustum est, atque con-  
sumptum, tempore cõcauum factum est: ut mons omnis, si licet magnis parua  
conferre, similis est uenatorio theatro. Vertex arbores & uites habet. Circulus  
ab igne latior factus, per dies fumum, noctu flammam emittit, ut uideantur in  
eo odores euaporari, & sacrificia fieri. Et quidem semper, interim uero magis, in-  
terim uero minus. Sæpe uero cineres effundit, quando scilicet aliqd coactû sub-  
federit: lapides sursum mittit. Quoties uero à spiritu & uento uiolatur, sonat &  
stridet, ceu nõ coacta & cõstricta, sed rara & occulta spiracula habens. Talis igi-  
tur est Vesuius. & hoc quidem in eo per annum plurimum fit. Quacûq; uero  
id temporis accidere, quàmuis magna & præter solitum uisa sunt, parua tamen  
ad comparationem eorum quæ tunc acciderunt, etiam si omnia in unum con-  
ferantur, parua existimari possunt. Quæ quidem sic habebant. Viri multi atq;  
magni, humanam omnem naturam excedentes, quales gigantes scribuntur,  
partim in monte, partim in finitima regione, per urbes interdium, atque noctu  
per terram oberrantes, & in aëre procurrentes uidebantur. Post hæc uehemens  
siccitas, & uehementes terræmotus subito facti sunt, ut planities illa uniuersa  
aquis

Gigantum si  
mulacra Ve-  
sui<sup>9</sup> emisit.

aquis scaturiret, & montes subsilirent, sonitus à cauernis subterraneis tonitruis persimiles, superne uero & in terra mugire uidebantur. Mare uero fremebat, & coelum resonabat. Post hæc fragor immensus subito ceu concidentium montium audiebatur. Exiliebant primum lapides ingentes, quasi ad summa montium exirent. Deinde tantus fuit ignis & fumus, ut aëra totum obumbraret, totum uero solem occultaret ceu defectum. Mox uero ex die nox, & tenebrae ex luce factæ sunt. Et existimabant Gigantes insurrexisse: apparebant quidem illorum effigies in fumo: præterea tubarum sonitus audiebantur. Putabant alij aduenisse Chaos, uel per ignem mundum absumi: atque fugiebant partim ex domibus in uias, alij extra, alij uero ex mari in terram: & rursus ex terra in mare: quidam uero trepidi & amentes, utpote qui existimabant quid securius esse præsentē. Hæc autē simulac facta sunt, eructabat immensus cinis: occupabat enim terram, mare, & aëra: & multa quidem alia, sicut accidebat: lædebantur homines, scilicet, regiones, & pecora, pisces, præterea aues absumebat. Insuper duæ ciuitates conflagrarunt, Herculaneum, & Pompeij. Herculaneum uero & Pompeios sedente in theatro populo oblimauit. Tantis fuit puluis, ut ab eo loco in Africam, & Syriam, & Aegyptum penetrauerit. Peruenit etiam Romam usque. Quin etiam aër totus imminens puluere oppletus fuit. Sol etiam obtenebratus, obscuratusq; est. Nec paruus metus fuit per multos dies. nesciebant homines quod factum est, nec coniectari, unde factum est. Existimabant enim quæ supra & infra erant, eueriti, Solem in terram descendere. Cinis autem nihil magni incommodi attulit. Cæterum deinceps pestem grauem attulit. Cæterum in sequenti anno à terra progrediens ignis, agente in Campania Tito: ut igni & conflagratis ædificijs remedia daret, urbem Romam populatus est. Nam Serapis & Isidis templum etiam septa, Neptuni ædem, Thermas Agrippæ, Pantheon, Diribitorium, Balbi theatrum, Pompeij porticum, Octauia domum cum bibliotheca, templum Iouis Capitolini cum ædibus & sacellis coniunctis conflagrarunt: ut non ab homine factum malum, sed magis diuinitus immissum existimari debeat. Ex ijs igitur quæ connumerauit, coniectari licet, quanta fuerint detrimenta & damna. Cæterum Titus duos ex ijs qui Coss. erant, ut ædificia repararent, pecunias insuper dedit. Donauit præterea eorum bona, qui sine hærede decesserant. Nihil enim à priuato homine, neque ab arario, neque fisco, cum multi multa conferrent, sumpsit. Ex his quæ tunc aderant, omnia reparauit: & in alijs quidē nihil egregium fecit. Theatrum uero uenatorium, in quo feræ depugnarent, & Balneum sibi cognomine dedicauit. Multa quoq; admiranda fecit. Grues inuicem & quatuor Elephantes depugnarunt. Aliæ præterea ad nouem milia feræ & cicures iugulatæ sunt, quas mulieres non admodum illustres interfecere. Viri præterea tum singulari certamine, multi pedestri pugna, alij nauibus decertarunt. Theatrum uero quod ipse confecerat, cum ex improuiso aqua repleuisset, induxit equos, & alia mansueta animalia, quæ omnia facere didicerant, quæ

in terra

Herculaneū.  
Pompeij.  
Vesæui conflagratio, Syriam & Africā, pulueris guttis complit.

Pestis ex incendio Vesæui.

Pantheon, Diribitorium, Theatrum Balbi, Porticus Pompeij, Capitolium.

Amphitheatrum Titi. Balneum Titi.

Mulieres in hærenam descendunt. Naumachia Titi.

Nautalis pugnae simulacra.

in terra & in aqua solita erant. Induxit & homines in nauibus, quorum pugnas ita partitus fuerat, ut hi Corciræ, hi Corinthij pugnam committerent; Alij uero extra in nemore Caij & Lucij, ubi Augustus ad hoc ipsum terram effoderat. Etenim eo in loco prima die digladiati sunt homines & feræ indefectæ, lacu tabulis munito ad faciem similitudinis, qui item quæcûq; circum uallum habebat. Secunda uero die equorum cursus. Tertia, tria millia hominum nauibus depugnarunt. Deinde terrestris pugna facta. Victores Athenienses, Syracusanos, his enim nominibus utebantur, naualiquæ pugna depugnarunt,

Tesserulae donatiul.

atque in paruam insulam insilientes è muro quæ circa monumentum confectum erat, illud cepere. Hæc representata

sunt ad centum dies. Exhibuit deinde quædam ad

utilitatem & lucrum, Tesserulas ligneas super-

ne in theatrum sparfit, in quibus signa

erant, aut esculenti, aut uestis, argen-

tei præterea uasis, & aurei,

equorum domitorum, pe-

corum, seruorum.

Quæ qui exce-

pissent, oportebat ad

distributores afferre, atq;

ab eis quod inscriptum erat, accipere.

CONFLAGRATIONIS VESAEVI À DIONE NICAEO  
DESCRIPTAE, ET À GEORGIO MERVLA  
ALEXANDRINO LATINITATE DO-  
NATAE, FINIS.